21.

COMPETITIO AD AGGREGATIONEM

JUSSU REGIS OPTIMI ET EX MANDATO SUMMI GALLICÆ UNIVERSITATIS MAGISTRI INSTITUTA ANNO 1823.

SUNTNE VARIÆ CEREBRI AUT ALIORUM ORGANORUM LÆSIONES PATHOLOGICÆ QUÆ APOPLEXIAM INFERRE AUT MENTIRI POSSINT?

THESIS

Quam, Deo favente, in saluberrimâ Facultate Medicâ Parisiensi, præsentibus competitionis judicibus, publicis competitorum disputationibus subjiciet et dilucidare conabitur, die tertia martii, anno 1824.

CAROLUS VICTOR LEGER, D. M. P.

In cadavere morborum sæpe nulla vestigia.

PARISIIS,

EX TYPOGRAPHIA T.-F. RIGNOUX.

1824.

JUDICES.

DD. ESQUIROL, Præses.
CAYOL.
RECAMIER.
BERTIN.
ROYER-COLLARD.
FIZEAU.
ALLAIN.
JADIOUX.

AD PROFESSOREM MARJOLIN.

Grati in eum animi pignus.

Alumnus, Victor LEGER.

CANDIDATI.

DD.

DELONDRE.
ROCHOUX.
GERARDIN. Opponens.
DE CHAMPESME.
CRUVEILHIER.
PIORRY.
LEGRAS. Opponens.
BAILLY.
RAMOUX.
MIQUEL.
DESTOUET. Opponens.
MARTIN SOLON.
DUPAU.
DUGEZ.
AUDRAL.
GIBART.
BAYLE.
TUFFIER.
VELPEAU.
MESLIER.
LEGER (Victor.)
LEGER (Théodore.) Opponens.
BOUILLAUD.

SUNTNE VARIÆ CEREBRI

AUT ALIORUM ORGANORUM LÆSIONES PATHOLOGICÆ

QUÆ

APOPLEXIAM INFERRE AUT MENTIRI POSSINT?

Ante quæstionem quam aggrederer non inutile mihi visum est dicere quid apoplexiæ voce intellexerint medici. Si quacumque causa sensibus et motu amissis homo caderet superstite admodum pulsu et respiratione plerumque difficili et stertente, aut si derepente e medio tolleretur quasi fulmine percussus, apoplexia laborare, aut perculsum fuisse dicebatur. Quam græci sic vocaverunt ἀπὸ τοῦ πλήττειν quod percutere perterrefieri significat. Sic prætermissa omni de natura morbi opinione, designaverant, gravem et terribilem effectum solum spectantes. At mihi causas aut læsiones pathologicas inquirenti, cum tam multiplices invenerim, non potui quin mirarer, tot et tantas inter medicos disputationes de morbi natura omni tempore extitisse, an sanguis scilicet an serum illam produceret, et quod magis mirum videbitur multos de apoplexia nervosa dubitasse, plurimos etiam negavisse, quosdam cum hæsitatione illam retulisse.

At varias læsiones a quibus apoplexia nasci possit si perpendamus, quodcumque inter earum naturam sit discrimen, in eo tamen similes conveniunt quod symptomata quibus apoplexia constat moveant, plus minusve constanti modo, prout lente aut subito agant. Nonne inde sequitur in omnibus communem læsionem adesse quæ reipsa in cerebro sedet. Nec refert an sanguis effusus,

aut vasa distendens, an serum, an tumor mollis aut durus, modo cerebrum compressione lædatur. Nec magis si venenum absorptum, si materia febris continuæ aut intermittentis, modo cerebraum ab his doleat, nec si organo vicino aut remoto inflammatis, cerebrum modo per sympathiæ vias afficiatur. Atque ideo non solum a sanguine aut a sero erit apoplexia sed ab omni causa in hoc viscus nobile agente.

Nonne enim cerebrum qui totus in actis nervosis et subtilissimis constat, non posset inter organa solum in suis muniis lædi; a quo decurrunt omnis motus et sensus, fons et origo, huic quod aliis tribuitur negari posset? Hoc contendere idem esset ac velle occulos in visu, ventriculum in actis digestionis affici non posse. At mihi pro certo habetur semper apoplexiam esse nervosam, et hujus morbi differentias a causis tantum esse ducendas; nec solum a causis apparentibus sed etiam ab illis quæ sensus effugiunt.

Hæc erit duplex divisio in perlustrandis variis læsionibus quæ apoplexiam inferre possunt. Forte paululum sic a quæstione secedere videbor, causas apoplexiæ nervosæ investigando, sed ab earum agendi modo, læsionem nervosam simplicem potui tantum demonstrare. Ab aliis præterea non multum distant in eo quod directo apoplexiam quoque inferant.

In prima divisione colligam omnes apoplexias in quibus pulpa nervosa læsa, nullum læsionis vestigium offert. Huic adscriberentur omnes apoplexiæ idiopathicæ, sympathicæ, et ex metastaticis multæ. In secunda omnes apoplexiæ, a læsione pathologica apparente pendentes. Hæc apoplexias symptomaticas contineret, sive a sanguine, sive a sero, aut alia materie premente.

Apoplexia sine læsione apparenti, seu apoplexia a nervis læsis in idiopathicam et sympathicam et metastaticam et subsequentem dividi posset.

Ad idiopathicam apoplexiæ a commotione externa, a commo-

tione animi, a dolore, ab inspiratione odorum et plurium vaporum qui asphyxiam gignere dici solent, etc.

Ad metastaticam a podagra pendentes aut ab altero morbo mobili.

Ad subsequentem quæ ab hysteria epilepsia producuntur.

Ad sympathicam a veneno, bile, vermibus, etc., ventriculum aut intestina irritantium.

Ultima divisio comprehenderet eas quæ per consensum universum organorum eveniunt ut quæ inediam hemorrhagias scorbutum sequuntur

Ad symptomaticam apoplexiæ a sanguine effuso, tumoribus, etc.

APOPLEXIA NERVOSA IDIOPATHICA SINE LÆSIONE ANATOMICA APPARENTE.

A commotione externa.

Nemini dubium est homines tonitru necatos aut commotione externa, læsa cerebri actione mori, nec ulla post mortem causæ vestigia relinqui. Apud Bonetum plura primæ causæ exempla inveni quæ referre supervacaneum existimo. Alteræ vero quotidie se offerunt.

A commotione animi.

Historiæ omnes redundant exemplis hominum subito vita defunctorum a violenti quocumque animi affectu, et in his casibus cerebrum, ut a tonitru turbatur; forte quidam censere possent potius ex syncope quam ex apoplexia induci hujus modi mortes, quia ita subitæ et repentinæ sunt, ut sæpe symptomata quæ solent apoplexiam comitari nequeant prodire. At etiamsi concederetur cordis motum spasmo intercipi in animi perturbationibus, non ideo tamen syncope esset idiopathica, sed potius sympathica ex

cerebri læsione. Et mors nihilominus a perturbata cerebri actione penderet. Ad hunc ordinem pertinent apoplexiæ a dolore quæ post graves operationes quando obortæ sunt. Sic Zulianus refert unum ex amicis fractura cruris affectum subito apoplexia a dolore mortuum.

Apoplexia ab inspiratione odorum aut vaporum quæ asphyxiam gignere vulgo censentur.

Plerique odores et vapores tum fermentantium liquorum tum ignitorum carbonum, mortem inferunt in cerebrum agendo potiusquam in pulmonem. Id propriis experti observationibus affirmant plures celebresque medici quos inter enumerandus venit Boerhaavius qui inclinationem in somnum memorat, dolorem capitis ejusque tensionem ad aliquot dies durantem, sed ne verbum quidem facit de læsa respiratione. Illustris Swietenus asserit homines a vaporibus carbonum læsos nunquam de anxietate conquestos fuisse, semper vero de acutissimo capitis dolore, ejusque tensionem ad aliquot dies durantem, et de quadam cujus ut aiunt plenitudine. Id probat observatione Wepferi ex qua colligitur hominem quemdam, ab alto sopore exhisce vaporibus exorto, asseruisse se haud anxio spiritu, sed somno occupatum esse. Revera neque Helmontius anxietatis meminit dum proprium a vaporibus carbonum apoplexiæ periculum describit incipientemque hemiplegiam. Nec simile quid expertus est ab aliorum vaporum venenosorum impressione. Dicit enim sequentia, memini quoque aliquando in tyrociniis virulenta quædam distillasse quæ, si quando non rite obturatis juncturis odorem de se spirarent, vel post modo separando vasa ab invicem incautum me ferirent, unico instanti in lapsu paratus eram cum vertigine et dextri lateris stupore, adeo ut, si iterum semel tantum odor me perculsisset, absque dubio ceci-

dissem apoplecticus. In tantam scilicet me olim temeritatem compulit ardor sciendi quod millies vitæ non pepercerim meæ. Marchio de Turgot Academiæ Parisiensis histioriam retulit virginis cujusdam normannæ quam cum opressisset vapor carbonum methodo Portalii sanaverunt. Ad vitam redux, asserebat hoc unum memoria retinere quod ante asphyxiam parte capitis anteriore angebatur, quam maxime subinde vero per biduum dolore totius capitis torquebatur. Celeberrimus Cullenius sibi persuasum ait esse quod hujus speciei asphyxiæ ad genus spectent apoplexiæ.

Apoplexia sympathica.

Huc confert exemplum quem illustris Moll tradidit apoplexiæ a passione iliaca illatæ, nec minus apoplexiæ a calculo biliari aut urinario, a vomica pulmonum, ut retulit Frank, mors apoplectica plurium tabe laborantium, apoplexia a vermibus quæ ut genus apoplexiæ adnotata fuit a Cullenio. Vidit quoque Hoffmannus aphoniam a vermibus stomachum et intestina vellicantibus.

Sed præsertim huc spectant læsiones stomachi et intestinorum, a quacumque causa productæ, sed præsertim a liquoribus alcoholicis, venenis et a bile, non enim ut vulgo dicitur ebrietate summa apoplexia simulatur, sed vere existit, natura tamen discrepans ab aliis causis ut evanescere queat. An cum morbus disparuit, concludi potest illum non extitisse et quando ebriii remanserunt apoplectici.

In miscellaneis naturæ curiosorum inquit Boerhaavius legitur exemplum de milite quodam qui se replebat tanta copia potus fermentati ut distentus se vix posset movere, sed in scamno considens paulo post ab eo collapsus expiraret; in cadavere reperitur notabile nihil in capite nec in pectore.

A venenis ventriculum lædentibus apoplexia frequens visa est. Sic morte repentina sublatam refert Bonetus mulierem ingestione

fungorum. Alteram meminit Lupinus a simili causa, sanatam vomitu veneni, et Hoffmannus apoplexiam usum jalapæ et tartaris vitrioli secutam.

Multis denique observatis constat bilem aut humores acres alios in ventriculo aut intestinis contentos apoplexiam inferre posse, huc maxime spectat observatio Swietenii. Vir quidam inter amicos apoplexia tactus procubuit humi; post horæ quadrantem, magnam pituitæ quantitatem præter ingesta vomitu spontaneo rejecit, hinc sensu rursus viguit motuque, imo post noctem quieto somno traductam optime valens futuros elusit hæredes qui nuncio de ejus morte audito festinantes illuc convenerunt.

Non sponte, sed arte excitato vomitu parem exitum habuit affectio apoplectica cujusdam agricolæ de quo loquitur Zulianus. Æger ætate annorum octo supra viginti, mense januario in quo biliosæ dominabantur pleuritides, domum ingrediens, suis coram domesticis querebatur satis, nutabat enim cruribus, viribus deficiebat incertoque intuitu vexabatur, deinde sedenti sensim increbuit morbus, evanuit mens; os apparuit detortum ac dextrum crus sensu motuque orbatum. Suppeditatum fuit ægroto emeticum cum ipecacuanha quo magnam ejecit materiei flavæ viridisque copiam. Continuo ipse mente vigebat, componebatur, ejusque crus post octo dies sensu pollebat ac motu.

Plerosque apoplecticos biliosos profert clarissimus Mollius.

A colluvie biliosa pendere videntur plures epidemiæ apoplecticæ. Hujus esse naturæ censenda est epidemia quam observavit Malovinus mensibus junio julioque 1748, a qua corripiebantur homines cujuscumque ætatis et pueri etiam adnotabat homines valde vexatos fuisse biliosis tum vomitibus, tum diarrhæis.

Huc spectat exemplum notabilæ apoplexiæ quam Bonetus à morbo pulmonum pendere censuit.

Senex theologus, vir probus et pius corpore obeso, nec non collo breviore et toroso præditus, diu invaletudinarius et vitam

sedentariam agens, cacochymiam valde scorbuticam contraxerat, respiratione difficili et anhelosa et capitis gravitate et torpore insolito affectus vix quicquam præterea laboris et exercitii præstare poterat quam quod quotidie e cubiculo ad sacellum iret et rediret. Quodam mane capellam paulo ante preces ingressus, dùm genibus provolvitur, derepente perculsus et mox αφονος insensibilis factus in humum concidit, ilico vero sublatus et vestibus exutus lecto concalefacto imponitur. Ipse aliique medici mox accersiti reperimus eum, non modo absque sensu, pulsu et respiratione, sed toto corpore frigentem et plane rigidum nec ullis remediis licet diligentissime adhibatis ad vitam aut incilescentiam revocari potuit, unde suspicati sumus a primo ictu cordis pulsum penitus adhibitum fuisse, flammaque extincta ejus sanguinis statis omnem motum suppressum fuisse.

Postridie cadaver exanime satis et obriguisse visum aperuimus non dubitantes quin affectus ita subito lethalis, vestigia satis clara intra εγκεφαλον relicta in conspectum prodirent, verum illic aut in alia quavis parte, morbi licet atrocissimi, ne vel umbra quædam supererat. Vasa menyngas irrigantia sanguine mediocriter repleta fuerunt. Absque ulla tamen phlogosi aut extravasatione. Cerebrum, cerebellum et medulla oblongata cum processibus eorum omnibus et prominentiis ubique firma et bene colorata, tum extra tum intra per totum apparebant, nec serum nec sanguis effusus ullibi intra eorum poros et meatus, nec etiam intra ventriculos majores coacervabatur. Quin imo plexus choroiedes tum intra cerebri cavitatem tum pone cerebellum consiti omni culpa immunes videbantur : adeo ut materia morbifica æque tenuis ac sunt spiritus animales quos affecerat, prorsus inconspicua maneret, ejusque illic præsentiam tantummodo ab effectu arguere liceret : attamen ne alibi extra caput lateret illa, post singula του εγκηφαλου. Contenta accuratius inspecta ad thoracem devenimus, ubi pulmones discolores et ichore spumoso

per totum infarcti respirationis difficilis et anhelosæ causam satis, manifeste prodebant. Cor vero satis sanum ac firmum, obstructione quavis aut polyposis concretionibus, immune prorsus existebat. Porro nec in vicinia ejus nec in aliis circumcirca visceribus abscessus quispiam aut apostema a cujus contactu et fœtore cor opprimi, aut spiritus vitalis (si modo hoc possibile est, derepente suffocari potuit reperiebatur.

Apoplexiæ Metastaticæ.

Quidam morbi locum primario affectum relinquentes ad cerebrum vertuntur, et apoplexiam inferunt; sic rheumatismus, sic præsertim podagra ut observatis Sydenhami constat. Hæc quamvis sæpe apoplexias graves et lethales inferat, tamen mobilitatis causa a cerebro removeri potest nullo in hoc transitus relicto vestigio, et ideo pulpam nervosam magis irritare quam sanguinis effusionem efficere suspicor. At sæpe ut Morgagnius et alii notaverunt, colluvies serosa in cerebro inventa fuit. Sed non quia serum exhalatum est supervenit apoplexia, sed et cerebri læsio nervosa et seri affluxus simul producti sunt a causa podagræ. Forte etiam serum turbas in cerebro natas sequitur. Gravior est ab eo morbus sed non totus in eo.

Zulianus memorat hemicraniam in juvene qua cessante, apoplexiæ symptomata ingruebant, et illa redeunte abibant.

Apoplexia subsequens ab hysteria et epilepsia.

Omnes morbos simulare posse hysteriam ab omnibus medicis, et præsertim a clarissimo Sydenhamo demonstratum est, at e simulatione aliquoties transit ad morbum ipsum nec credo unquam fictam sed in re existentem sed non naturæ permanentis esse.

Post insultus epilepticos sæpissime observata est apoplexia, et

quidem gravior et lethalis sæpe serum post mortem in cranio inventum, nonne vero morbi causa aut effectus læsionis substantiæ nervosæ.

Apoplexia a causa in plurima aut in omnia organa agente.

Hujus est generis apoplexia quæ post hemorrhagias sequitur, cujus mirum exemplum Storchius præbuit in muliere quæ ex uteri nimia hemorrhagia periit. Hanc quoque observavit Boerhaavius morte consecutam dum parabantur quæ illam sisterent. In eumdem ordinem redigi debere visa est apoplexia vitam ab inedia extinctorum sistenti. Cardona refert canes fame extenuatos apoplexia periisse. Hunc locum obtineret apoplexia scorbuto superveniens.

Nescio ad quem ordinem referre apoplexiam intermittentem quamvis venenorum more agere illius causam suspicar sed ad quemcumque ordinem attineat notandum est solum locum habere inter apoplexias nervosas proprie dictas sine ulla læsione, nam clarissimus affirmat Rahnius, plerumque nullæ læsionis indicia protulisse cerebrum eorum qui ex febre perniciosa intermittente obiere apoplectici.

Observatio sequens clarissimum proferet hujus generis causæ exemplum.

Febris intermittentis apoplecticæ hanc historiam a Ferrante Ferrario accepit Torti.

D. Catharina Zanni annorum 65 mense augusti anno 1706 febre correpta est. Invaserat hæc cum frigore et vomitu; cumque per diem protraheretur, credita fuit a domesticis quædam, ut aïebant, catarrhalis, qua affici alias consueverat. Cum tamen tertio die repeteret, vocatus valida febre laborantem inveni. Mane altero cum non adhuc omnino remitteretur, præmisso clistere sanguis ex brachio detractus est. Recruduit eadem die post meridiem

febris, cumque postera dies majoris futura esse afflictionis videretur, cum de tertio in tertium fortiores et magis præcoces fierent affectus, nil aliud præter cibum, et mature quidem oblatum est. Rediit paulo post febris cum frigore, deinde cum mordaci ad tactum calore, et aliqua interdum bilis per superiora excretione, cardiaca tunc remedia et pulveres testacei præscribebantur, et pro venturo mane potus ex oleo amygdalarum dulcium paratus. Exinde febris per subingressum continua fiebat servata tamen aliqua declinatione, sed amissa penitus apyrexia. His ita se habentibus optimum duxi sero vaccino depurato, stomachum et intestina diluere, ideoque ad libras duas mane propinabatur, sed febre majorem in dies vim sumente missus est denuo sanguis ex pede et hoc factum est octava morbi die. Processit ea fortior semper servato tamen periodico, licet obscuriori quodam augmenti circuitu, undecima morbi die cum febris consuetos motus tentaret, *oris contorsione aliqua laborantem* et verba non bene ferentem observavi. Terruit me novitas rei sed appropriatis remediis evanuit hæc prorsus decima morbi die dum ante auroram augeretur febris, eadem oris obliquitate et loquendi impedimento cum gravi insuper sopore tenebatur, unde crescente jam die hirudines hæmorrhoidibus apponendas curavi sed spem omnem de sanitate restituenda amisi. Hac nova sanguinis missione, vel potius consueta febris, licet tam pauca, subsequente declinatione melius haberi visa est, et tentatis jam antea bezoarthicis et aliis diaphoreticis validioribus, sudor aliquis decima quarta morbi die moveri observatus est. At decima quinta die cum febris augeretur, *apoplexia* correpta est ægra quæ in paralysi lateris totius dexteri degeneravit. Tenebatur sopore gravi; vocata tamen respondebat, quæ declinante die mente melius constare cæpit; ut hæc vidi, ratus fieri omnia ratione et motu febris, de hac supprimenda si per tempus licuisset concilium cæpi. Quapropter licet jam certe apoplecticam in futuris paroxysmis morituram putarem, non

omissis cæteris remediis chinam chinam exhibui ad drachmas duas, deinde singulo mane ad drachmam unam per sex dies. Testor deum! Cæpit sedari febris ac sensim restitui partis amissæ motus ac sensus secuta post modum sudorum ac urinarum copiosa ac critica evacuatione. Institi ego tunc in remedii vi cujus præter spem à mortis imminentis periculo erepta est et exinde post dies quadraginta motui adeo restituta ut sine baculo gressum domi movere potuerit.

Sunt hujusdem auctoris aliæ historiæ similes sed minus concinnæ et inde minus probantes.

Nunc ad læsiones sive causas pathologicas apparentes et quæ compressione in cerebrum agunt transeo, et a læsionibus extus venientibus incipiam. Ex innumeris læsionum capitis externorum observatis patet cerebro quavis causa compresso apoplexiam nasci posse, sive inter ossa et membranas, sive in cerebro ipso causa comprimens hæreat, quod ad confirmandum inter multas præclaras historias quæ celeberrimus Pot retulit duas elegi.

Apoplexia a sanguinis extravasatione inter duram menyngem et calvariam.

Auriga e sede ad terram in caput, sic saltem suspicatum est, decidit, mente et motu carens ad nosocomium transfertur. Nulla in capite violentis causæ inventa, indicia et scilicet, extravasationem sanguinis symptomata indicarent nulla ratio tamen erat cranium instrumentis aperire. Adhibitis omnibus in tali casu usitatis auxiliis, attamen æger tertia die migravit ad plures nullis servatæ mentis signis recognitis. Capite aperto, multa sanguinis copia inter cranium et duram meningem inventus est.

Historia sequens sanguinis effectus multo clarius demonstrat.

Puer novem annos natus superiori partis fronte, a recurvata parte ferreæ fistulæ percussus, ad terram sine mente concidit.

In fronte magnum conspiciens tumorem, certe sine mora tegumentorum partem abstulissem, nisi quidam ex parentibus pueri curam topico efficere voluisset.

Tertia die revocatus ægrum in eodem statu inveni. Tegumentis incisis fracturam cum ossibus depressis vidi.

Partibus demissis in situm repositis, stavi, duram menyngem sanam inveniens nec ullum extravasationis indicium prospiciens.

Postera die symptomata eadem manebant, pulsu tamen minus duro, et apopletico stridore qui adhuc remanserat evanido. Respiciens os plane unitum inveni, nec ullo modo duram menyngem inter fragmenta prensam. Magna ex arteriis temporalibus detractio facta fuit sanguinis, et clyster stimulans datus.

Quarta die, nihil novi. Tum partem ossis depressam terebravi, et in dura menynge grumosus apparuit sanguis quem abstersum sequebatur similis naturæ alius. Tres dies duravit evacuatio sanguinis, et paulatim ad mentem rediit et salvus postea discessit.

Congestio sanguinis.

Num vasa cerebri a nimia sanguinis copia distenta apoplexiam inferre possunt? Ad illam opinionem comprobandam accedunt omnes casus in quibus nulla læsio in cadaveribus fuit inventa; et inter medicos qui huic opinioni favent, et affectionem localem ad provocandam apoplexiam necessariam putant, hi inquam post mortem si nulla vestigia distensionis vasorum adsint, hæc mortis effectu evanuisse dicunt. At apud nos, quamvis hac sententia non valeat, putamus saltem multa exempla exstare quæ certe demonstrant a tali causa pathologica apoplexiam produci posse.

Sed mihi congestionem apud ægros in dubium non revocanti et post mortem illius vestigia agnoscenti, non probatur illam esse mali causam et potius unum, ex effectibus pendentibus à causa morbum efficiente; nam si nimiam vasorum repletionem tanta

mala sequerentur quanto frequentius observarentur. Nonne post cursum dum cor ictibus repetitis et violentioribus sanguinem pulsat, et facies rubet, et vasa omnia prætermodum distenduntur, apoplexia superveniat. Sane post istam causam apoplexia visa est, sed inerat quædam antecedens dispositio morbifica. Nonne cum post talem causam, aut applicata quadam vi externa genæ rubeant sequatur erysipelas. Non sic agitur si nulla aderit prædispositio, aut si veniat levis et brevi tempore evanescit.

—Non quod tamen congestionem negaverim apoplexiæ producendæ inaptam, sed credo, si non alia sit causa, gravem esse debere ut talem morbum pariat; et hoc si necesse judicetur, illorum qui nullis distensionis vasorum relictis, illam supponunt, evanescet opinio.

Unam a Boneto relatam a tali causa apoplexiam historiam elegi.

Nubilis uxor annos circiter xx nata temperamenti laudabilis, coloris subfusci, aliquot ante matrimonium annis sexto per mortem dissolutum mense, capitis dolori obnoxia vixit, sinistra præsertim parte infesto, et ubi fluerent menses, graviori; quo vigente cervix in id latus invite distorquebatur. Quindecim ante obitum diebus, de ingravescente conqueritur, absque dilucidis intervallis, nec tamen a domesticis officiis distrahente, ac si gravior fieret oculus sinister introrsum corripi videbatur.

Consultus medicus lienem maleficii accusat, quia conjugium obstructiones præcesserant : eo collineat, sirupos et apozemata ex succis herbarum composita præscribit, nec non venæ sectionem; a quibus præsidiis non nihil solatii percipit, generosioribus, in gravitatis suspicione, prætermissis. Pridie ante fatalem diem aliquid in cerebro crepitasse exclamat; mox tamen inficiatur metum incutere satagenti et sollicito de salute marito verita. Nox eam diem excipiens utcumque tranquilla; mane vultum inso-

litas, pallor obsidet : accedit in prandio præter morem apositia, unde graviditatis opinio certior medico; circa meridiem visitantes cætaneas hilari excipit vultu sed paulo post dimittit invaletudinis prætextu, earum ad cubiculi usque limen comes, quod dum repetere intendit, suborta vel vertigine, quod verismilius, vel leipothomia humili sedili obvio insidere volens, concidit : jacens deprehensa in cubiculum defertur. Cui imposita brevi reparatas vires iri ait, ac quietem sibi permitti postulat. Interim absente medico de confectione hyacynthorum aliquid præbetur, aqua vomitus excitatur. Superveniens ille histericum pathos suspicatur, alvum enemate prolui jubet et cucurbitulas internis femoribus affigi; dehinc somnus conceditur, qui diutius protractus assidentibus suspectus fieri incipit, quod vix verbum extorquerent; erecta caput nutabat cum insigni et plumbea corporis gravitate, unde serius animadversum apoplecticam passionem ægram invasisse exinde ad extrema concurritur præsidia sirupus emeticus salæ exhibetur a quo ερετισμοι et irriti ad vomendum conatus; sed nulla exclusio; mors quarta a decubitu hora subsequitur.

Cadaveris sectio.

Remoto cranio statim se obtulerunt venæ duram matrem perreptantes ultra modum et morem dilatatæ ac expansæ nigræ et et varicosæ, *minimi digiti crassitiem pene æquantes*, parte presertim sinistra; inde cerebri superficies livida admodum apparebat. Hinc ad duræ menyngis separationem progressu facto ea deprehensa est insignis et insolitæ tum crassitiei tum duritiei, circa præsertim basim cerebri in qua venæ distentæ etiam nunc et admodum lividæ apparebant. In thorace integra omnia, pulmones tamen ad livorem utcumque vergentes. Quoad imum ventrem, nulla in eo labes adfuit. Renes et lien integritate donati, uterus insigniter parvus, citra ulla conceptionis rudimenta.

At rarissime apoplexiam efficere congestio sanguinis fuit observatum, et sæpius graviores alteras læsiones a quibus nascitur morbus, præcedere visa est.

Apoplexia a sanguine.

Inter læsiones pathologicas cerebri quæ apoplexiam movent, primum sine dubio tenet ordinem effusio sanguinis sive inter duram menyngem et calvariam, sive inter menynges et encephalum, seu in substantiam cerebris, seu in ejus ventriculos. Ea scilicet est hujus læsionis frequentia ut multi auctores solam hanc apoplexiæ causam adscribere non dubitaverint, inter quos Malpighius, Portalius. At Morgagnus qui innumera cadavera secuit, non hanc sententiam adeptus est, et hujus celeberrimi viri opera legenti alias adhuc esse arbitrari necesse est.

Vasa cerebri naturaliter cæteris tenuiora motui sanguinis minus resistunt, sed apud quosdam inest quædam textura debilior rupturæ magis favens. Et non quod ut vulgo dicitur, validioris constitutionis sint non quod apud eos sanguis abundet, vasa rumpuntur. Nam si ita esset, in ætate florente, in ætate vigoris frequentior videretur apoplexia. At credo esse et natura aut causis variis supervenire in vasis debilitatem peculiarem quæ ætate minuentibus viribus augetur, et ad rupturam procliviora efficit, præsertim si validior sit motus sanguinis; et quando erosioni lentæ vasorum succedere rupturam opinor; tum nec aucto cordis impulsu sanguis in cerebrum extravasari poterit. Quidam, ut Wepferus, rupturam supervenire crediderunt ut in aneurysmate spurio, nec huic sententiæ repugnat Morgagnus.

At quoquo modo sanguis erumpat, in varia loca depluit, et sæpius in corpora striata, ut notavit Rochoux, post frequentius in mediam partem hemispheriorum. Hic majori minorive copia profusus partes distendit, comprimit, dilacerat et sæpe inflammat,

compressione symptomata apoplexiæ invadunt. An tamen semper est sanguinis affluxui et compressioni apoplexia tribuenda? Nonne magis hujus præsentia ab illa causa ex qua proveniunt apoplexiæ alia phenomena penderet. Mediam credo inter alias extremas sentiendi rationes opinionem teneri posse. Certe, si post causas motum sanguinis properantes, superveniat apoplexia, nihil aliud in morbo considerandum erit, quam sanguinis compressio; at si prægressis multis causis quæ in systemate nervoso agunt, aut vi quadam incognita sed reipsa existente, in corpus humanum, agente ut in febribus intermittentibus sanguis affluat, ut in febre soporosa, ut in podagra, non illi morbum tribuere deberem. Omnia mala quæ a causa incognita in essentia sua decurrunt. In primo casu sanguis, quasi corpus alienum, cerebrum premit; in altero, non solum cerebrum premitur, sed hujus substantia nervosa peculiari modo afficitur, et non sola, sed cum aliis organis a causa venenosa, podagrica, etc., simul affectis; tum sanguis in cerebro non magis apoplexiam quam maculæ scorbuticæ scorbutum efficiunt. Hæ vanæ videri poterunt disputationes, si a varia opinione accepta non sequerentur indicationes curatoriæ, totæ contra sanguinem si prima, totæ contra causas suspicatas si altera prevaleat. Nam si anni tempestas humida austrina, apoplexiæ faveant, ut observatis Morgagni, Baglivi, Misticelli compertum est, etc.; si ab his relaxatio quædam inferatur vasis cerebri, nonne ad illam præcavendam eisdem remediis succurras ac si apoplexiam removere ab homine toroso sanguineo velles?

At si causæ proegumenæ multum attendamus multi facere tamen debemus compressionem a sanguine illatam in organum ad vitæ munia tam necessarium. Sed et in morbo Croup dicto a pseudo membrana larynx male afficitur, et non omittuntur ad illam expellendam auxilia, sed non totus est in illa membrana morbus, hæc illius effectus est et non in ea mea sententia morbus est.

Sanguis in cerebro extravasatus nunc et sæpissime lethalis nunc ut in aliis organis resorbetur ut Wepferi, Morgagni observationibus primo demonstratum fuit et deinde in Gallia a multis recentibus observatis confirmatum. Qua via pergat natura ad morbum sanandum præsertim accuratissime descripsit Riobe, Primo sanguis membranula circumdatur quæ vi absorbente prædita est, et reipsa absorbetur et illius loco serius videtur cavernula interne vestita membrana colore flava fluido seroso distenta, quandoque in magnam copiam ut observavit Baillie. In aliis tandem opus est peractum, membranula ipsa resorbpta, et nihil superest nisi cicatrix. Ex observatis doctoris Rochoux constare videtur, raro sanguinem circumdari membrana serosa et sæpius sequenti modo se habere. Sanguis in caverna contentus cujus parietes molles sanguine vividissime injectæ secundum duarum aut unius lineæ crassitudinem, inæquales anfrrctuosæ, intus laceratæ, segmenta in aqua si agitentur fluitantia præbent. Circumdata sunt pulpa cerebrali, in duarum aut trium linearum crassitudinem, liquata, flavi coloris; ab interna ad externam partem gradatim liquatio, et color flavus decrescunt; sanguine absorbpto cavernarum parietes sibi invicem accrescunt, fere semper laxis compagibus uniuntur, filamentis cellulosis inter quæ spatia Fluido ichoroso, subfusco, aut flavo et aliquoties speciei gelatinosæ repleta.

Nullis de hoc genere apoplexiæ referam exempla quia nimis omnibus nota sunt.

Cordis aut arteriarum aut venarum morbi qui sanguinis motum impediunt appoplexiam a compressione repetita inferre possunt. Attamen tam raro a cordis læsionibus nascitur apoplexia ut Corwisartius dixerit se numquam vidisse, et exempla aliena quæsiverit quorum est sequens.

Nihil magis ad probandam et illustrandam hujus generis causam conferre visum est quam historiam morbi celeberrimi Malpighii a Baglivo relatam exponere.

Marcellus Malpighius anno ætatis 66 circiter temperamenti ad siccum vergentis mediocri corporis habitu et mediocri pariter structura præditus cum per decursum virilitatis suæ annorum obnoxius fuisset vomitibus et secessibus biliosis, et post horum suppressionem vomitibus acidis, palpitationibus cordis calculis renum et et vesicæ, urinis cruentis et interdum affectionibus podagricis levioribus; demum exacerbatis his omnibus post illius adventum Romam; et præsertim palpitatione cordis calculis renum et sudoribus quibusdam vespertinis, iisque mordacissimis correptus fuit apoplexia 25 julii anni 1694 hora circiter meridiana, præcedentibus curis et animi passionibus, apoplexiæ accessit paralysis totius dexteri lateris corporis, tortura oris et oculi pariter dextri. Varia remedia statim adhibuimus scilicet sanguinis missionem in brachio sinistro cucurbitulas scharrificatas scapulis, pulverem cornachini, synapismos plantis pedum et alia quam plura spirituosa, cephalica et specifica in apoplexii remedia, quorum usu post quadraginta dies gravissimorum malorum, vaniloquii, capiplenii aliorumque accidentium liber evasit ab apoplexia, paralysi supra dicta aliisque accidentibus recensitis. Sed quoniam malorum latius serpendi mos est, vir vi antecedentis morbi summopere læsus fuit in memoria et ratiocinio, imo quavis minima de causa solvebatur in lachrymas, inappetentia indigestionibus ventriculi, subsultu musculorum, et levibus vertiginum invasionibus per intervalla afficiebatur. His denique aliisque symptomatibus miserrime lacessitus die 29 mensis novembris ejusdem anni denuo correptus fuit appoplexia post injectum consuetum clysterem hora matutina. Novam hanc apoplexiæ invasionem præcesserunt gravissimæ vertigines cum exacerbatione calculosa vesicæ fere per integrum octiduum. Inappetentiæ et relicta symptomata graviora erant sed vehementior is omnibus fuit novæ apoplexiæ insuttus; nam irritis quibus libet remediis post quatuor ab invasione horas migravit ad superos.

Secto cadavere, observavi sinistram pulmonis partem aliquatenus flavescentem lividam præsertim in posteriori illius parte qua dorso adhæret.

Cor erat mole sua auctum et præcipue parietes sinistri ventriculi qui duorum digitorum latitudinem æquabant. Bilis in vesica fellea valde nigricabat. Ren sinister in naturali statu erat, dexter contra quasi medietate minor sinistro, ejusque pelvis adeo dilatata ut duo digiti commode intrudi possent; ob hanc pelvis dilatationem succedebat forsan ut calculi, in renibus geniti, statim in vesicam descenderent et e vesica foras prosilirent, ut pluries mihi testatus est, dum esset in vivis vir optimus. In vesica urinaria parvus calculus aderat *qui quatuor diebus ante invasionem* ultimi accidentis apoplectici inibi descenderat et *descendendo verigines illas ultimas exacerbavit;* reliqua viscera naturalia optime se habebant.

Aperto capite, in cavitate dextri ventriculi cerebri, duas libras circiter sanguinis nigri et grumosi extravasatas invenimus, quæ sanguinis evasatio apoplexiæ causa fuit et mortis. In sinistro ventriculo residebat aqua subflava ad pondus sesquiunciæ, eique intermistæ erant minimæ arenulæ exigua quantitate. Vasa cerebri sanguifera erant undequaque varicosa. Universa dura mater fortiter ac præternaturaliter adhærebat cranio.

An a cordis morbo an a calculo apoplexia citata fuerit in hoc casu dubium.

Quid multa de læsionibus circulationis, dicere satis erit polyposas concretiones in corde in vena cava apoplexiam excitasse. Hujus tamen generis causas non relinquam omissa historia apoplexiæ à curotide ossificata orta quam Bonetus tradidit.

Bruma sæviente omnibusque nive canescentibus vir doctissimus atroci capitis dolore juxta latus sinistrum vexabatur postea de doloribus abdominis questus, apoplecticus lumina placido morte clausit.

Post horam novissimam ventre dissecto mesenterii glandula maxima scirrhosa et exulcerata inventa est.

Cranio elevato carotis dextra intra cranii mænia ascendens prorsus ossea, et si dicere liceat petrosa fuit cavitate vix permeabili. Arteria vertebralis dextra triplo major fuit quam ea oppositi lateris.

Apoplexia dicta serosa.

Cum tot sint hujus læsionis exempla et præsertim a Morgagnio collecta mirum videri debet plures celebres ac peritos medicos de illa causa dubitasse an illis observationum Morgagnii suspecta fides. His certe demonstratur a tali causa apoplexiam produci posse. Non quod omnes historiæ in epistola quarta Morgagnii relatæ, ad illud probandum conferant. Est præsertim una ex his quæ ad apoplexiam perniciosam pertinet, et in qua serositatis affluxus tantum epiphenomenon videri debet quod quidem ipse adnotavit Morgagnius. Præterea in plurimis non est magna copia collecta colluvies serosa, quod Morgagnius perpendens credidit multum in morbo agere acrimoniam aut seri salsitatem. Denique miratus sum quam fuerit in fere omnibus ægris mors repentina, quæ res non consentit descriptioni hujus læsionis usitatæ ubi dicitur morbum lente progredi, et eo apoplexia sanguinea differre. Tamen historiam ex Morgagnio excerptam in qua symptomata tempus quoddam duravere re eram.

Primam Morgagnii observationem elegi, quia fere sola liquidi serosi copiam notabilem offert.

Zanii patrem apoplexia, patruum vesicœ lapis abstulerat; ipse habitu corporis obæso, carnibus mobilibus, collo toroso et brevi facie valde rubente, vitæ sedentariæ et assiduis litterarum studiis, in lauta ut nobiles viri solent, victus ratione, deditus, quadragesimo exacto anno, calculis tentari cœpit quos excernebat simulque salsæ salivæ copia quæ postea dentes omnes e suis al-

veolis excussit. Cum annum ageret sexagesimum primum, defecit ea salivæ excretio. Dolores autem vexare interdum cœperunt caput gravantes. Circa annum tandem quem non complevit sexagesimum tertium postquam solemne dierum quadraginta jejunium, id quod annis superioribus dubiæ valetudinis causa non fecerat, religiose servaverat, queri incepit de dolore in mingendo, qui postea factus est acerbior atque ut plurimum periodicus; nam singulis fere mensibus, aliquando etiam crebrius post multam aquosæ urinæ excretionem sub hujus finem recurrebat cum mingendi difficultate conjunctus, diesque aliquot perstabat. Quibus accesserunt post animi affectiones, dolores caput gravantes, et his novissime sensus hebetudo, motusque debilitas in parte corporis dextera. Automno adveniente ædemate pedes intumuerunt, quorum dexter cute erosa ingentem copiam emisit seri limpidi quod ignis calore concrescens ovi albumen referebat. Ab hac tanta seri excretione adeo non levatus est æger, ut contra etiam in pejus rueret. Nam primum factus est somniculosus: deinde hyemali accedente solstitio, austroque flante sine loquela inventus est, parte autem dextera fere immobili; neque enim nisi acrius vellicata movebatur, idque etiam leviter et a sumptis quidem guttis pluribus salis ammoniaci loqui iterum potuit et dexteram partem quasi expedite movere, sed quadrante horæ interjecto, aphonia iterum captus est, sic tamen, ut omnia quæ dicerentur, intelligere se ostenderet; imo interdum verbum etiam aliquod sed cum conatu, et submissa voce proferret. Quinto tamen ab affectione ejusmodi apoplectica, die vivendi finem fecit.

Ventre aperto, aere turgens ventriculus, renes molliores, sani tamen, et sana item vesica invenitur, quemquam lapidem continebat parvæ pullæ ovum æquantem, forma ad ovalem sed depressam accedente, superficie valde aspera, colore autem non albicante ut in patruo sed subrufo. Thorace recluso pulmones nisi quod rubebant secundum naturam reperti sunt. Cor magnum in

ejusque ventriculo dextro leve concretionis polyposæ inchoamentum; sanguis enim ita erat fluidus ut paulo ante cum forte ramus iliacus secaretur, non secus atque ex vivente homine erumperet.

Cranio exsecto, crassa menynx apparuit corrugata, subtenui autem intra cerebri sulcos *stagnans serum* adeo limpidum ut ante hujus menyngis sectionem, vitrum pellucidum repræsentaret. Ejus copia seri major in dextero quam in sinistro cerebri hemispherio esse videbatur. Ejusmodi quoque serum in majoribus ventriculis compertum est ad uncias duas; et hoc quidem salso erat sapore. Etsi vero ex eo omni sero quod intra cranium fuit, non multum, sinceri præsertim colligi potuit, in tres tamen partes divisum est: quarum ea quæ igni est imposita, in auras tota abiit; altera admisto spiritu salis amnoniaci et levi agitata commotione est, et nonnihil sanguinis, quod ei forte inerat, brevi ad fundum præcipitavit. Tertia vero a spiritu vitrioli nullam passa est turbationem. Ceterum in ventriculo dextero plexus choroides vesiculam habuit avellanæ magnitudine, cum in sinistro parvas haberet. Arteriæ denique tum carotides, tum vertebrales interiore in tunica ubique corpuscula ostendebant disjecta, alba firma. Sed non eadem firmitudine omnia; pleraque enim ad cartilaginem, aliqua duntaxat ad osseam accedebant.

Monet Willisius se aliquos novisse vertigini obnoxios quibus aquæ limpidæ ingens copia per nares exstillabat, tuncque hac evacuatione facta cessabat statim vertigo. Præterea in virgine cephalea immani diu afflicta multum seri flavi et tenuis quotidie de naribus effluebat. Cumque hæc excretio aliquandiu substitisset in convulsiones atroces cum stupore incidit atque apoplectica periit. *Capite aperto*, *similis latex flavus cerebri anfractus* et ventriculos inundabat.

Sequentia habet Columbus: Dissecui non semel qui ob fortem apoplexiam obierant in quorum cerebro magnam aquæ copiam reperi perspicuam quidem sed glutinosam.

Ad apoplexias serosas attinent febres cerebrales apud senes præsertim observatæ.

Ad has quoque febris hydro-cephalica infantum quæ paucis horis illos interemit. Hæc in solito decursu nihil apoplexiæ simile præbet.

Liquatio cerebri.

Hujus modi læsio quamvis a Morgagnio et Wepfero signata, tamen ultimis temporibus fuit recte cognita. Jam de liquatione, sanguinis collectiones circumdante locutus, nec plura dicam. At est liquationis altera species quæ a clarissimo professore Recamier præsertim hisce temporibus fuit adnotata in febribus ataxicis, quam alii observatores recentiores, inter quos professor facultatis Monspeliensis Lallement, inflammationis effectum arbitrati sunt. Cum nondum in hac re opinionem certam edere possim exemplum referam quod inflammationi tribuere mihi videtur impossibile. Puer quatuordecim annos natus a nosocomio infantum exiit enteritidem passus, et solum post sex septimanas convalescens, omnia ut in sanitate se habebant, nisi paululum tristis; nullæ vero fuerunt de capite querelæ. Ad domum suum adventus tristitia auxit. Tertia die tristior debilis ad nosocomium redit vix hujus Portam aspexit quam subito concidit, mox facie rubra respiratione altissima, et multum stertente, pupillis contractis et mox relaxatis, brachiis contractis, præsertim sinistro. Crastino mane moriebatur. Cadavere aperto, magna pars hemispheriorum cerebri in substantia pulposa liquata erat. Thalami optici diffluebant ut lactis spuma. Alterum exemplum e morgagnio extraham.

Mulier patavina Jacoba nomine Angeli Zanardii uxor cum annum ageret unde sexagesimum apoplexia correpta est; hunc gravis supervenit febris. Ob hæc in nosocomium illata, dies ibi aliquot superstes fuit. Etsi loqui non poterat tamen primo quidem die intelligere videbatur; nam sanum brachium medicis tentandum

ultro præbuit ; id erat sinistrum, dexteri autem artus ut sensu ita etiam motu carebant, videbanturque insuper quasi a convulsione contracti. Sic et oculi dexteri connivebant palpebræ ut fere clausus appareret. Facies rubebat, sorbitio difficilis non erat.

Multa in dissectione cadaveris ad meum opus inutilia prætermitto, et ad caput cujus solum causa hæc observatio excerpta est transeo. «Dum cranium secaretur serum non paucum prodiit, illius fornice sublato, cerebrum in sua sede persecantes primum quidem duram menyngem crassiorem animadvertimus per alteram autem menyngem vasa omnia sanguine non secus ac si usus essem injectione multum distenta erat. Is sanguis, qualis in toto cadavere ater nec valde fluidus. Sub eadem menynge conspiciebatur in cerebri anfractibus aqua pellucida, cujus modi aquam mox in ventriculis, lateralibus duntaxat invenimus, cum plexibus tamen choroidibus minime decoloribus, quamvis vesiculæ habentibus aqua turgidas et ex his unam minimum uvæ acinum æquantem. Fuit hæc in plexu sinistro : quo sublato animadverti thalamum nervi optici non eo quo dexter naturali esse colore sed fusco. Tunc assulatim cerebrum dissecando, hujus quidem reliquam substantiam reperi quam optime constitutam, sed quæ a latere externo thalami, quem memoravi sinistri erat substantia medullaris *permollis* et quasi *liquata* ac *permista cum cruento quodam sed obsoleti coloris* humore deprehensa est, ut nihil nisi gravis odor deesset ut plane fracidam pronunciares occupabat vitium paulo plus loci quam a maxima nuce juglande occupari potuisset, eratque color ille cruenti humoris in ejus medio manifestior. Fuit autem res eo facilius animadvertenda quod cum cerebrum, ut dixi alibi, suo colore esset, nec cerebello tantum durius sed mira quadam ubique et præsertim in toto dextere hemispherio duritie præditum. In illo uno, quem designavi loco, subcruentum colorem, et substantiam quasi diffluentem habebat.

Nullum magis ac hujus læsionis genus clarius demonstrabit

nihil aliud esse apoplexiam nisi effectum multis causis in cerebrum agentibus communem, atque in hoc morbo ut in cæteris, medicorum studia et observationes ad causas præcipue verti debere. Omnes enim hucusque liquationis historiæ sub apoplexiarum nomine descriptæ sunt; sic Rostanus refert ægram ad nosocomium provectioris ætatis refugium translatam, insultus apoplectici omnia signa referentem quæ pro medico effusionis sanguinis certa indicia visa sunt. At se cum hujus medici in dignoscendis morbis nota esset peritia, multum miratum esse sanguinis loco liquationem magnæ cerebri partis inventam. Et similis historiæ teste Landre Beauvais meminit; addit a se antea collectas de hoc morbo observationes nomine omnes apoplexiæ signatas.

Varios liquationis gradus adnotans maximos, ad pulticulæ mollitiem accedere, minimos paululum a cerebri naturali firmitate recedere observavit. Quæ ad colorem attinent flavum viridescentem, rubrum, album vini fecem aut balaui corticem imitantem; quæ ad situm, corpora striata, nervorum opticorum thalamos frequentius affecta animadvertit; in omnibus cerebri partibus præterea existere posse. Insuper addit sæpe simul multam aquæ copiam inventam, quæ ad se omnem medicorum attentionem advertere debuit; denique arterias cerebri plerumque cum liquatione occurere, ossificatas. Naturam morbi spectans inflammationem sequi sæpe opinatur, at oppositis huic morbo causis nasci quoque observatis, haut dubitavit.

Apoplexia ab abscessu.

Abscessus sæpe apoplexiam produxerunt, præsertim a causa interna venientes. Nam si externa, sæpe sequuntur tantum leves paralyses, sed non omnia quibus stipatur apoplexia. Exemplum memorabile hujus morbi retulit Morgagnius.

Vir erat annos natus triginta tres, sanguineo temperamento,

gracilis herniosus, mero et tabacco summopere deditus. Hic cœpit dolere parte capitis sinistri ad occipitium præsertim, quem dolorem secutus est dolor et imbecillitas musculorum colli in eodem latere; primum febris vehemens fuit sed postea se remittere visa est; verum pulsus factus est non modo rarus sed et debilis parumque remittens simulque collabescere cæperunt vires ut quivis corporis motus jam essent difficiles. Quin etiam post interruptum delirium, aphonia accessit, neque æger amplius movere se potuit, donec, lente moriens post diem tandem quartum decimum vivere desiit.

E cranio dum cerebrum eximitur, in hujus basi paululum *purulentæ materiæ* assimadvertitur quæ abstersa, dum cerebrum tractatur ibidem nova conspicitur; nimirum per infundibulum e ventriculis prodibat. Nam eadem sinister dexterque præsertim, redundabant. Quippe in hujus striato corpore foramen erat quocum ulcus sinuosum communicabat, tertiam partem occupans substantiæ, quæ a dextris basim cerebri faciebat. A sinistris nihil in cerebro erat vitiatum.

Secunda questionis pars.

Suntne læsiones cerebri aut aliorum organorum quæ apoplexiam simulare possiut.

Ad quod negando respondeo. Et quodam modo in prima parte includuntur hujus responsi argumenta. In hac enim apoplexiam exquisite nervosam tractans omnes fere morbos quæ apoplexiæ fictæ aut simulatæ reputantur perlustravi. Et si jure ac merito ut opinor locum eorum naturæ consentaneum tenent, hic cum duo habere non possint non iterum exponere debui, et quod multi morbi, in cerebrum agentes facile ab eo recedunt, simulare apoplexiam putantur; an vero quod morbus mobilior, quod brevi cessaverit non exstitit.

At ut finem argumentis faciam, meam sentiendi rationem exemplis probem, si nempe saburra aut alia causa ventriculum lædente superveniat apoplexia, quamvis tunc in ventriculo causa lateat nonne cerebrum minus erit affectum, leviori quidem modo ac si in cerebro causa lateret, sed tamen haud periculo immuni si non abstrahatur.

At sopor ipse solito profundior et longior Boerhaavii sensu levis est apoplexia quin imo coma carus.